

logo primo ostenditur scriptor hujus evangelii, 2°. eius auctoritas &c. Ipsius Operis: *Liber generationis. Evangelium Mathei diuiditur in 2. partes primo stabilitur subiectum ostendendo christum esse verum hominem &c. Finis totius: ut sic non deficiat fides petri. Ad laudem et gloriam domini nostri &c. Additur: Scriptum tercia feria ante festum pasche. Annus non comparet.*

## CLXIX.

U. 74 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 300. 4. currente calamo scriptus continet Expositionem scholasticam *Evangelii Matthaei*, quae ita ingreditur: *Sacratissime evangelice doctrine seminator b. Matheus ut mentibus fidelium evangelij fluentia artius instillaret &c. Desunt hinc inde quaedam, et finis est: dignetur perducere, ut sibi correpnemus per infinita secula, quod nobis concedat ipsa trinitas increata super omnia benedicta Amen. Tergo Codicis manu Sec. XVI. inscriptum: M. Mich. Suechensbaz In Evange. Mathaei. Initio Sec. XV. floruit hic Theol. Doctor et ad D. Stephani Canonicus, ejusque memoria in Scriptoribus nostris Academicis non nisi ad an. 1414. pertingit. Rectoratum gessit a. 1409. Ad de eo et reliquis ejus Scriptis, si lubet, *Scriptores Univ. Vien. P. I. p. 64.* Id asserere amsim, non paucas hujusmodi Doctorum Academiae *Vindob.* lucubrationes, sive sacram eruditionem, sive metho-*

dum, aut stilum spectes, nihil concedere aliis, quibus fors obtulit, ut a primis Typographis prelo excuderentur.

## CLXX.

U. 141 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 495. f. per duas columnas probe exaratus, et rubricis pernotatus *Commentaria in totum D. Matthaei Evangelium* complectitur. Introductio incipit: *In nomine domini amen. 1449. Lecturus evangelium beati mathei ante aggressum textus evangelici aliqua preambula premittam &c. Exponuntur deinceps gemini etiam Prologi, tandemque textus hoc initio: Liber generationis Ihesu Christi &c. Istud evangelium beati Matt. diuiditur in duas partes. Nam in prima ostendit christum esse verum Deum et verum hominem &c. Terminatur vero: ut sibi correpnemus per infinita secula, quod nobis concedat ipsa trinitas increata super omnia benedicta Amen. Et rubro: In vigilia laurenti Anno M° CCCC. 50. Jam ubi? In fol. Codici praevio lego: Anno domini 1449. fui admissus ad legendum cursus et in vigilia simonis et Jude incepti legere hunc librum quem finiui in vigilia laurenti. Et in Theca anteriore: Iste liber est magistri Sigismundi de lengenueld; aliaque manu: Magister Sigismundus obrecht de Lengenueldt in theologia baccalarius posonijque (que et bistropolis dicitur) cum erigeretur Vniuersitas ex primis collegiatis hunc librum loco trium florenor. Vngaric. quos*